

1157

D O G M A T I C I

1158

lorum dicitur Petrus, hanc suam Theologiae Summam nuncupavit Guillelmo Senonensi Archiepiscopo, postea Remensi (voti Historiam Scholasticam eidem dicauerat Petrus Comestor) idque circa annum 1170. Agunt de Petro Pictaviensi Lombardi Discipulo et in Cathedra Successore, atque in iis etiam, quae minus probata, cum eo sentiente, ideoque ab Gualtero S. Victoris Priore impugnato et cum Magistro suo, Petroque Abailardo, Gilberto item Porretano adpellato Galliae Labyrintho Oudinus T. II. col. 1499. Fabricius L. XV. France litteraire T. IX. Partitio illius I. in Codice: *Inuisibilia dei a creatura mundi per ea que facta sunt &c.* Quamvis Partitionem praecedat Elenchus Caputum. Quae Partitione III. tractat Autor de Gratia, Peccato et Virtutibus, apud Magistrum ejus partim L. II. partim III. habentur. Ad errores ejus animadvertit Mathildus cit. in Praef. His non obstantibus ad Archiepiscopatum Ebrodunensem in senio pervenisse e male intellecto Alberici in Chron. ad an. 1206. loco scripsere Sammarthani Galliae suae Christ. T. I. et post eos alii. Sed Mauriani Galliae Christ. novae T. III. col. 1075. nos deducere.

CCCCLXVIII.

U. 278 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 172. f. maj. per duas columnas nitide descriptus, literis initiorum deauratis et picturatis, minioque comtus Petri Lombardi IV. Sententiarum Libros of-

fert initio sumto a Prologo: *Cupientes aliquid de penuria ac tenuitate nostra &c.* Hunc omnium IV. Librorum Capitula excipiunt, *Distinctionibus* tantum per Operis decursum in margine adsignatis. Opus integrum, probe scriptum hac clausula, quam Scriba literis illis diplomaticis uncialibus angustissimis exaravit; terminatur: *Christus laudetur quia libri finis habetur. Finito libro sit laus Iesu Christo.*

CCCCLXIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 279 XIII. Folior. 143. f. per duas columnas bene scriptus, et rubricis enotatus aliud Petri Lombardi Exemplar continet insignitum: *Sententiae Magistri Petri parisiensis*, in eo a praecedente differens, quod Libris singulis suum *Capitulare* praefixum est. *Distinctiones* porro in margine tantum adnotantur. Textus integer ita subscribitur: *Expliciunt sententiae magistri petri de italia.* Rite; nam aut *Novariensis* fuit, aut, quod contendunt *Lettere ragionate Lucae 1775.* editae, *Lucensis.*

Fol. 142. alia aequè vetusta manu *Ammonitio innocentii pape III. Pro liberatione terre sancte ierusalem.* Incipit: *Quia maior nunc instat necessitas, quam unquam institerit &c.* Ut in *Cocquelinii Bullario T. III. Romae 1740.* n. XCII. p. 158. f. Post verba: *congruo loco et tempore* circa finem aliqua abscisa sunt.

Fol. 143. *Littere de convocando concilio. Archiepiscopis Episcopis*

C 3